



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1460. usque ad annum 1478

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118332

§. 40. Res Castellæ Regni

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66459](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66459)

Sæcul. XV. cet enim graviter aquarum inopia premerentur, tanto tamen impetu, ac magnanimo periculi, mortisque contemptu ex urbe in Turcas effundebantur, ut ferro per hostium agmina sibi viam aperientes, libere aquam advehere potuerint. Tandem etiam Turcæ obsidionem solvere compulsi sunt, desideratis suorum quam plurimis. Mocenicus, qui in hac expeditione nullam impigri Ducis partem omiserat, in patriam reversus, communi omnium suffragio Dux in locum Nicolai Marcelli paulo antea demortui salutatus est; classi autem Antonius Lauredanus cum summa potestate præficietur.

§. XL.

Res Castellæ Regni.

Hoc anno ingens contentio inter Comitum Beneventanum, & Sentillanum Marchionem exorta Regiam Castellæ Curiam in diversa abstraxit studia. Utraque factio ad arma conclamat, & ipse Rex copias suas in aciem educere compellitur, ut pacem inter dissidentes armis revocaret. Villenæ Marchio, postquam in gratiam rediit, Regem ad locum, qui Turrus Julia dicitur, comitatur; sperabat enim, cives Regis sui auctoritate ac præsentia facile ad urbis deditionem adigendos. Ast, cum Gratianus arcis Præfectus

Mariana
lib. 240.

Sabellic. 3.
dec. 10.

Truxillo.

fectus, Regis sui jussis obtemperare recu-
saret, Henricus loco abire, ac Madri-
tum reverti cogebatur; Marchio tamen
interea ad San-Crucem, quæ urbs est
secundo lapide a Turri Julia distans, re-
manebat, ut cum Gratiano de reddenda
urbe ageret, quam ille etiam Marchioni
restituit, oppido S. Felicis in ejus locum
dato, cujus dominium postea Gratianus
in magnanimitatis suæ præmium accepit.
Adhuc de firmandis concordiae legibus
agebatur, cum Marchio ulcere in
faucibus aperto, quod demum in hæmor-
rhagiam degenerabat, e vivis ereptus est.
Ejusdem filius provida sagacitate Patris
mortem celabat, donec conventa utrin-
que executioni data essent. Rex, ut cir-
cumspectam hujus fidem remuneraretur,
eidem omnes Præfecturas, quibus Pater
ejus potiebatur, asseruit, adjecta insuper
suprema oppidi S. Jacobi jurisdictione.

Sæcul. XV.
A.C. 1474.

§. XLI.

Henrici IV. Castellæ Regis obitus.

Hæc fuit postrema Henrici expeditio;
paucis enim post diebus, cum Segob-
iæ cum Ferdinando Rege & Isabella
Infante ambulatum iret, repentinis late-
ris doloribus corripiebatur: cum vero ad
morbi vehementiam nova in dies fieret
accessio, quantocius ad Regiam transferri
debut.